



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Paragraphvs I. Datur & explicatur definitio beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)



FORI BENEFICIALIS

PARTIS PRIMÆ

SECTIO PRIMÆ.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum in genere naturâ, origine, erectione, divisione in species, & harum singularum conditionibus & qualitatibus.

CAPUT PRIMUM.

DE BENEFICII ECCLESIASTICI NATVRA, ORIGINE, ERECTIONE.

PARAGRAPHVS I.

Datur & explicatur definitio beneficii.

Quæres primò: qualiter definiendum Beneficium Ecclesiasticum, prout in rigore accipitur à Canonistis?



Espondeo: quòd sit jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii auctoritate ecclesiasticâ constitutum. Less. *de jure & just. l. 2. c. 34. n. 1.* Laym. *theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.* Barb. *de jure Eccles. l. 3. c. 4. n. 8.*

Quæres secundò: quid importet tò jus?

Espondeo: importare primò potestatem legitimam, quæ est incorporeum quid à re ipsa, ad quam datur, distinctum; unde & beneficium inter res incorporeas numeratur. Lott. *de benef. l. 1. q. 3. n. 3.* Laym. *l. c.* Secundò ipsam rationem formalem beneficii; nam neque ipsi fructus percipiendi, utpote quid merè temporale, sunt beneficium; neque ipsum officium seu ministerium spirituale, illiùsve exercendi obligatio aut potestas, utpote quæ sunt solum fundamentum & causa, ob quam conceditur facultas illa percipiendi fructus. Less. *l. c.* & ex eo Castrop. *tr. 13. d. 1. p. 1. n. 2.*

P. Leuren. *Fori Benef. Pars 1.*

Quæres 3. an & qualiter hoc jus sit spirituale?

Espondeo: esse spirituale, non in se formaliter (est enim in se proportionatum rei, ad quam datur, seu quam intrinsecè respicit, nempe fructibus percipiendis) sed solum in radice, seu spiritualitatem participare unice per accidens, & per respectum ad ministerium in se spirituale, jusque exercendi hoc ministerium itidem simpliciter intrinsecè spirituale, cui annectitur. *c. dilecto. de prob. D. Th. 2. 2. q. 100. a. 4. Barb. n. 8.* Consequenter quoque, non verò antecedenter ex eo hoc jus censetur spirituale, quòd tam in recipiente, quam conferente supponat Clericatum; ideo namque possideri nequit, & conferri à laico, quia aliunde spirituale est. Garc. *1. p. c. 2. n. 6. 28. & 34.* Porò num ex eo, quòd principaliter & in se hoc jus sit quid temporale, rectè inferatur (ut contendit Garc. *n. 8.* & seq. citans plures alios) vendere beneficium esse simoniam non nisi juris humani, prohibentis venditionem illorum, quæ similem connexionem & respectum dicunt ad spirituale, videbitur alibi.

Quæres 4. quid importet tò perpetuum?

Espondeo primò: eam perpetuitatem intelligi, requiri, & sufficere ad rationem beneficii, quæ inest ipsi huic juri seu beneficio, quatenus hoc semel auctoritate prelati Ecclesiastici constitutum, manet semper, ita ut sublatum ab uno sive voluntate superioris, sive per mortem possessoris non pereat, sed vacet, remaneatque alteri conferendum, secus ac contingit in pensione, quæ cum

A

pen-

penfionario extinguitur, & vel hinc rationem beneficii non habet. *Castrop. loc. cit. Gonz. ad reg. 8. Cancell. gl. 5. §. 5. Paris. de resign. l. 1. q. 10. num. 69. Garc. p. 1. c. 5. n. 3. Suar. de relig. tom. 1. rr. 3. l. 4. c. 25. n. 1. Nihilominus*

2. Respondeo secundò: beneficium, prout in jure Canonico & communiùs accipitur hoc nomen, esse, & dici perpetuum, quia non tantum in se modo jam explicato, sed simul etiam in beneficiato, quantum est ex se, perpetuatur, dum ei non datur ad tempus, sed in titulum perpetuum. *Less. loc. cit. Barb. loc. cit. n. 11. C. Tusch. lit. A. concl. 55. estque veluti matrimonium celebratum inter beneficiatum & Ecclesiam. Sanch. in Decal. l. 7. c. 29. n. 106. Atque ita jam beneficia manualia, etsi priori modo in se perpetua; quia tamen ex se non perpetuantur quoque in beneficiato, à ratione beneficii communitè accepti recedere dicendum erit. Castrop. nu. 7. & apud Gonz. loc. cit. nu. 21. Nav. cons. 27. de prab. De cetero relicta hac communi acceptione beneficii, posse ex speciali jure dari beneficium verum, etiam seculare, neutro modo perpetuum, docet Barb. loc. cit. n. 12. Corrad. in praxi benef. l. 1. c. 6. nu. 285. Possèque beneficium ex institutione sua perpetuum conferri ad tempus, & fieri temporale per Papam, non tamen per alium illo inferiorem, tenet Garc. loc. cit. n. 72. Corrad. loc. cit. n. 288. Et per consuetudinem immemorialem Garc. n. 74. citans Nav. Quin & primitus constitui tale ex fundatione. Garc. num. 72. citans Lap. alleg. 67. Absque tamen eo, quòd quis titulo talis beneficii non perpetui promoveri possit ad ordines; cum titulus ille debeat esse perpetuus. *Trid. sess. 21. c. 2.**

Queres 5. quid importent particula percipiendi fructus?

1. Respondeo primò: importare perceptionem, quà beneficiatus facit fructus suos, seu subicit dominio suo, citra tamen omne dominium bonorum, ex quibus ii proveniunt; cum horum bonorum sit solum administrator, competente illi hac administratione à summo Pontifice; qui solus habet jus plena administrationis illorum bonorum *Lott. cit. q. 3. n. 8.*

2. Respondet secundò idem *Lott. n. 11. & seq.* Longè majus & pinguius esse hoc jus, quàm ut restringi debeat ad simplicem perceptionem fructuum, & minùs aptè beneficiatum cum usufructuario conferri, cum ipsum fundum ecclesiasticum veluti suum, more tamen boni patrisfamilias curare, & administrare possit, faciendo etiam ex terra prædiali vineatoriam juxta *c. ult. de pecul. Cler. quod usufructuario minime permittitur juxta l. si usufructus. ff. de usufructu.* Unde hic Auctor in definitione beneficii ponit: jus administrandi certum fundum ecclesiasticum. De cetero beneficiatum respectu bonorum stabilium, ex quibus percipiuntur fructus, etsi majus jus habeat, quàm purus usufructuarius, utpote qui non tantum (quod solum conceditur usufructuario) capere potest fructus; quatenus eget ad usum quotidianum; sed etiam de eis in suos aliosve usus pios, dum vivit, disponere; in tantum tamen habere jus minus usufructuario, in quantum hic fructus tam in vivis, quàm post mortem relinquere potest, quibus vult; adeò que nec esse merè usufructuarius, nec propriè usufructuarius, tenet *Laym. loc. cit. c. 3. n. 8. Nav. rr. de redit. q. 1. monito 40. n. 12.*

Queres 6. Quid importent particula ex bonis Ecclesiæ?

Respondeo: indicari primò, quòd bona immobilia aliàque dominia & jura, ex quibus beneficiorum redditus proveniunt, debeant esse extra bona secularia, dicata nimirum cultui divino: rationem adferre videtur *Lott. l. 1. q. 5. n. 43.* Dum ait: jus, in quo ratio beneficii constituitur, spirituale esse, non præcisè ex correlative officii divini, sed ex eo etiam, quòd emergat ex legitima temporalium dedicatio e Deo facta; & vel hinc jam titulo patrimonii promotus ad ordines, beneficiatus non est; cum patrimonium illud sit adhuc, & remaneat in bonis secularibus, spectetque jure hæreditario ad talem clericum, & morte illius non vacet, sed transeat ad hæredes defuncti; unde & indivisum esse potest cum aliis fratribus; etsi juxta *Trid. sess. 21. c. 2.* alienari nequeat, donec clericus adeptus sit beneficium sufficiens ad sustentationem. *Filiuc. rr. 41. de statu cler. c. 1. citans Abb. in c. cum tuis de prab. n. 9. Azor l. 3. c. 4. q. 2.* Secundò, dicta jura & bona pertinere ad particulares quasque Ecclesias, esseque communitatis, eorum tantummodò administratione existente penes Episcopos, aliòsque Ordinarios Ecclesiarum tum secularium, tum regularium Rectores. *Laym. loc. cit. n. 2. ex D. Tho. 2. 2. q. 43. in corp. ar. 8.* Neque enim, dum dicuntur esse res Dei & ecclesiæ, intelligitur, ut censuisse putatur *Abb. in c. cum secundum de prab. Nav. & alii quidam,* quòd non sint in hominum dominio & commercio, sed quòd Ecclesiæ his rebus à fidelibus ad cultum Dei ita dotata, ut ad profanos usus amplius non serviant. *Vide Molin. de just. to. 1. D. 142.*

Queres 7. Num has bona debeant esse res certa & stabiles?

Respondeo affirmativè, sunt enim veluti dos assignata beneficii. *Lott. loc. cit. n. 15.* idque satis indicat *Trid. sess. 7. c. 7.* dum determinat, congruam assignatam pro Vicaria perpetua debere fieri super re certa.

Queres 8. Num ergo talis res certa assignata v.g. fundus, debeat abdicari, & transferri in dominium Ecclesiæ?

Respondeo negativè: sufficit enim rem hypothecatam & affectam onere praestandi tales redditus reali perpetuo, non extingibili cum persona, sed cum re ipsà ad quemcunque successorem transeunte; Vox siquidem ista assigno regulatur à jure, & intelligitur facta demonstrationis causà, super quibus bonis habenda congrua, seu ex quibus desumendi illi redditus. *Lott. n. 18. & seq. citans Felin. Bart. & c. qui etiam n. 16. ait: ipsum quoque annuum redditum in dotem beneficii assignatum, si ex certo fundo debeat, dici fundum Ecclesiasticum, utpote inhærens fundo, & hinc illius naturam induens; juxta *Tiraq. de jure primogen. q. 49. n. 2.**

Queres 9. Quid importent particula ratione spiritualis officii?

Respondeo; connexionem, quam habere debet jus dictum cum ministerio spirituali; (quæ
V. G.

v. g. est decantatio, & recitatio horarum, prædicationis verbi Dei, administratio sacramentorum) veluti cum sua causâ, ob quâ datur. *c. ult. de rescript. in sexto*; ita ut si reditus Ecclesiastici, jûve illos percipiendi sive Clerico sive laico assignentur ob munus vel servitium non spirituale, v. g. cantandi, pulsandi organum, vel ob bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, nullatenus sit beneficium Ecclesiasticum. Porro dum dicuntur dari ob spirituale officium, vel etiam, ut *Lott. loc. cit. n. 25*, ait, ob spiritualis officii temporalem retributionem, ita accipiendum non est; acsi dentur in compensationem & pretium, sed in sustentationem talium personarum, ut ex cura sibi providendi liberâ Deo melius vacare queant. *Garc. p. 1. c. 2. n. 60.*

Quæres 10. Quid intelligatur per hoc: auctoritate Ecclesiasticâ institutum?

Respondeo: significari beneficium ab ista auctoritate superveniente veluti constitutivo ultimo & formâ esse suum consequi, ceteraque, puta, collationem bonorum, designationem reddituum, constitutionem altaris &c. esse veluti materialia beneficii; *Lott. l. 1. q. 5. n. 41. & 42.* ita ut impossibile sit, jus illud percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis induere rationem beneficii, nisi auctoritate Ecclesiasticâ constituatur, vel confirmetur, beneficiumque ullum Ecclesiasticum, quocumque demum nomine veniat, sine ea interveniente erigi; *Argumento c. nemo. & c. nullus. de consecratione. d. 1. Gonz. ad reg. 8. gl. 5. n. 7. Selv. de benef. p. 1. q. 5. n. 29. Lott. n. 40. Barb. loc. cit. c. 4. n. 15. Corr. l. 1. c. 2. n. 16. & 17. &c.* Ratio: solius enim prælati Ecclesiastici est, officium in Ecclesia instituire, illisque proventus Ecclesiasticos annectere, & dispicere, quot & qualibus ministris Ecclesiæ opus sit; ac proinde novos admittere; vel excludere; ne aliâ magna sequatur confusio *Less. loc. cit. n. 4. Filiuc. loc. cit. n. 4.* Proinde dum fundator quis ex assignato Deoque dicato prædio suo constituisset in perpetuum proventus pro onere legendi missas à præsentando per hæredes suos, ad hoc etiam clerico vel sacerdote, quin & instituen-do ab Episcopo, solâ desideratâ auctoritate Ecclesiasticâ, consensu nimirum Prælati Ecclesiastici id admittentis & confirmantis, necdum erit beneficium. *Corrad. loc. cit.* sed solùm dicitur simpliciter pia donatio. *Barb. ex Lott. loc. cit. n. 56.* eritque talis Capellania carens ereptione & institutione Ordinarii laicale quid. *Corrad. loc. cit. n. 28. Barb. n. 20. citans Nav. consil. 5. de præb. num. 1. Gonz. & alios, concedendum etiam citra privilegium à laico per modum simplicis deputationis sacerdotis. Lott. num. 57. Barb. num. 18.* Quin & præsentari poterit ad eam laicus, quantum est ex natura talis Capellaniæ (secus est, quantum est ex mente fundatoris, quæ servanda est) *Lott. n. 59. citans Abb. in c. 2. de institut. num. 4.* Neque etiam per fundationem talem quaritur fundatori jus aliquod patronatûs, sed stabit in pendentis, usque dum accedat consensus prælati Ecclesiastici. *Felin. in c. ex parte. de rescript. nu. 2. Lott. n. 55. Barb. n. 16.* Ac denique non subjacet tale legatum, priusquam erigatur in titulum beneficii, provisioni aut collationi etiam Apostolicæ; cum collatio tanquam necessarium suum antecedens requirat & supponat existentiam beneficii. *Corr. num. 29. & seq. & hinc frequenter tales collationes & provisiones in-*
P. Leuren. Fori Benef. Pars 1.

validæ declaratæ sunt; & signanter talem nullam declaravit Rota in una *Melphirensi legari Pii de anno 1629. coram Dunezetto apud Corrad. num. 28. & Barb. num. 15.*

PARAGRAPHVS II.

De origine & ereptione beneficiorum in genere.

Quæres 11. Quæ fuerit beneficiorum Ecclesiasticorum origo?

Respondeo: hanc ferè fuisse ea instituen-di occasionem; quòd postquam in primitiva Ecclesia fideles venditorum à se prædiorum suorum pretia Apostolis deferre soliti essent, ut exinde, prout cuique opus erat, distribueretur; Actorum 4. & 5. Visum dein fuit expedire magis, ut ipsamet prædia seu immobilia bona Ecclesiis donarentur, ex quorum annuis proventibus ministrorum Ecclesiasticorum sustentationi perpetuò provisum esset, præberenturque certa stipendia singulis proprium nihil possidentibus, sed in communi, Episcopo præfidente, vitam agentibus, certâque vivendi normâ (unde Canonici dicti) adstrictis in una aliqua æde seu Collegio, cui certus præfixus titulus v. g. S. Crucis, S. Joannis &c. Recedentibus demum à communi illâ vitâ clericis divisa fuerunt à Dionysio Papâ Parochiæ, singulisque Clericis beneficiorum tituli assignati, ex quibus vitæ necessaria sibi possent ministrare. *C. 1. 13. q. 1.* Porro beneficii Ecclesiastici nomen, etsi plures velint usurpatum primò in Concilio Moguntino ad annum 813. longè tamen antiquius eo usum Innoc. primum, qui vixit anno 400. ostendit *Barb. de benef. c. 4. n. 5. citans Epistolam ipsius Innocentii 2. c. 10. Volum. 1. Concil. & c. si monachus ad Clericatum. 15. q. 1.*

Quæres 12. Quo jure inducta sint beneficia?

Respondeo: inductio seu erectio beneficii, in quantum præcisè est assumptio Clerici ad divinum officium, cum deputatione temporalis retributionis ad vitam sustentandam necessariâ, vel etiam beneficii, in quantum nudè jus est ob ministerium spirituale percipiendi fructus ad congruam sustentationem necessarios, juris est divini ad minimum positivi (dico ad minimum, ait enim *Azor p. 2. l. 6. c. 1.* esse juris divini naturalis; ed quòd militanti & laboranti stipendium, merces, & alimenta jure naturali debeantur) utpote ex præcepto Dei tam in lege Mosaicâ, quàm Evangelicâ revelato, dicente Domino ad Aaronem *Num. 8. Omnia, quæ sanctificantur à filiis Israël, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitimâ sempiternâ &c.* Apostolo etiam *1. ad Cor. 9.* hoc institutum legis veteris in lege nova retentum, & à Christo renovatum disertè attestante his verbis: *nescitis, quòd qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? & qui altari deserviunt, cum altari participant; ita & Dominus ordinavit, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, ipsòque Christo de operario Evangelico dicente *Luc. 10. dignus est enim operarius mercede sua.* *Lott. l. 1. q. 5. num. 49. & seq.* Unde jam beneficiatus ex patrimonio suo seculari dives,*